LVDOVICVS XIII.

COMMENTARIORVM DE REBVS IN GALLIA & toto penè orbe gestis,

LIBER I. TOM. III.

AD NICOL. BRVLARTIVM Sillerium, Franciæ Cancellarium.



PARISIIS,
E Typographiâ PETRI CHEVALERII, in monte diui Hilarij.

M. D C. X.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



NICOLAO SILLERIO FRANCIÆ CANCELLARIO.

VT cruda & recentia vulnera, non modo ſcalpellum, ſed leniſſimos tactus manuſque ſuſpenſas formidant, ſic vereor ne munuſculum intempeſtiuum ſit, neue tuus publicuſque dolor, non ſatis emollitus ſubactuſque, hoc lugubri manipulo recrudeſcat, ſed cum omni luctu maior ſit clades noſtra, ferendum eſt patientia, quidquid corrigere eſt nefas. Ego verò rem poſteris meoque inſtituto dignam me facturum putaui, ſi Henric. IIII. iam non viuum, ſed Diuum, indigetem & cælitem, epicædijs nænijſque proſequerer. Dum vixit illius res præclarè, fortiter, immortaliterque geſtas complexus ſum, ac glorioſa illa narratione Commẽtarij penè omnibus paginis, ſuiſq; factis velut gemmis ſcintillant, cum

quodam tamen temperamento & parcimonia laudum, ne viuo assentari viderer, nunc autem citra metum inuidiæ & adulationis, passis velis in pelagus laudum suarum excurrere, & quæ superstiti elogia scripsi, cumulatiora facere dabitur, nam vt vetus ille scriptor,

Maius ab exequijs nomen in ora venit.

Hanc lugubrem laciniam attexere Commentarijs, ratio temporum iussit, cum post-futuris auspicata & inauspicata memoranda sint: At tu illorum non minimam partem occupas, (SILLERI TOGÆ PRINCEPS) *his enim quātū res Gallicas prouexeris, non vno loco prædicaui, vt Veruineū, & cum Heluetijs Rhætisq; fœdus ictum, Augustæ coniugium te conciliatore & quasi paranympho, fortunatè ad multam prolem procuratum, ac plura ad tui nominis perennitatem scripsi, quæ si aliquando legeris, in his res à te gloriosè gestas, verè & probè sine palpo & titillatione expressas agnosces, vt Carthagini in tabula de excidio Troiano, Æneas,*

Sese Principibus permistum agnouit Achiuis.

Vale, cor Regis, fulcrum Regni, Legum custos, lucerna iuris, Lutetiæ 15. Kalen. Iulij.



RODOL. BOTEREII IN MAGNO FRANCIÆ Consilio Aduocati,

Commentariorum de rebus in Gallia & toto penè orbe gestis,

TOMI TERTII, LIBER I.

M. DC. X.



VANTVM ab exordio & progressu Commentariorum finis dissidet; incœpi ab vnctione regia, ab interitu ciuilis belli, ad pacis auspicia & otia seriem operis duxi, toto illo legenti iucunda & auspicata narratio, qua nihil auersum nihil turbidum Henrico IIII. quinimò omnia illi fauente cœlo nec iratis superis contigere: ventum erat ad summum gradum fœlicitatis, faustum & inturbatum coniugium, adæquata numero mascula & muliebris proles, iam in nonum annum Delphinus adultus, (ô vtinam diutius, & saltem in quinquennium, hoc primogenitorum Galliæ elogium protraxisset) eccè in stupendo pompæ apparatu, à summæ tranquillitatis fastigio, ad luctuosam certè rerum sortem deuoluimur. At quàm verum est, in speciem lenocinanti mortalium fœlicitati nō esse fiden-

M. DC. X. dum, vitrea illa eſt, cum ſplendet frangitur: vt in tranquillo mari, cœlum ſudum, ſilens mare, reſides fluctus, denique omnia tuta à naucleris timentur, ſic ſolo vt ſalo, à ludicris & genialibus ſemper metus, qui modeſtiæ cuſtos eſt, & effrenati luxus retinaculum eſſe debet, in Gallia potiſſimum, in qua ſæpius extremam lætitiam luctus occupauit: Dux Anguianus in ludicro commilitonum certamine, arcæ lapſu colliſo cerebro necatus eſt: In haſtiludio Henric. II. liberi nihilo mitiore obitu interierunt, ſed hanc amariciem longinquitas temporis ſorbuerat. At nũc, vel cum fœnore omnium ærumnarum, duodecennis pacis lenitatem luimus, hactenus Commentarios non grauatè, non acerbè nec obluctante calamo ſcripſi, nunc ſtomachoſo, & indignãter, ſanguine rubicantibus notis, mihi exarandi erunt.

Ego Auguſtæ Lutetianum triumphum ad prælum vrgebam, porticus, columnas, obeliſcos, toreumata, ſimulachra, titulos, elogia, & id genus ouationis publicæ annotaueram, poſtridiè vnctionis Auguſtalis ad Dionyſiopolim, pergebam ad opuſculi coronidem, cum eccè properans ad pontem Virgineum, vt nonnulla recens addita obſeruarem, video effuſos globos eiulantium, audio clamores inconditos, fletus, tumultus, vt in capta vrbe, à præuijs inquiro, quid rei fiet ita turbidæ in publica lætitia, inclamat vnus occiſum Regem, alter grauiter vulneratum, tertius penitus extinctum, nec mora vt feralis nuntius ſæpiſſimè verus eſt, & vix fallit (ita ad humanas miſerias certus eſt & conſtans

rumor) statim à vulnere expirasse Regem M. DC. X.
omnes nunciant. In nænijs inanibus, ignauóque fletu, quod diei iam pronæ reliqui supererat, non fuit insumptum. Augusta grauius alto pectore saucia, opportunius dolori seruans se, prouinciarum vicarios, summosque proceres & aulicos, qui non pauci aderant aduocat, Cancellarius, Villa-regius, Lomenius, qui ocyssimè sarciendis malis opem quærebant, ad fidem & obsequiũ cohortantur, illi qui erant fide integra hoc classico non egebant, vbi sacramento Delphino nouello Regi se deuouerunt, celerrimè abreptis equis veredarijs, ad suas præfecturas abeunt.

Ex summis illis proceribus nõnulli qui tandiu odia & priuatas simultates aluerant, suaptè monentibus superis statim à Regis excessu deponunt, inuicem se amplectuntur, & ad regni tutelam amicè conspirant, feceruntque illi cordatè profectò & desiderio boni publici, quod olim duo Romani præfecturæ Consularis consortes, qui cum ad munia publica pergerent, cum antea inuicem & mutuis odijs implacabiliter se exagitassent, vnus ad alterum sic profatus dicitur: Deponamus simultates aut verius »
inimicitias, post magistratum eas si lubet resumpturi. »
Iam inclinante die, cogitur Senatus, (cum nulla hora ad salutem intempestiua sit,) properè adfuit, ad seram noctem res protrahitur, tandem Senatus-Consulto Augustæ regni summa procuratio attribuitur, & post pridianam vnctionẽ vicaria filij potestate vt imperaret decretum est, postera luce Senatus ipse, purpura &

M. DC. X. dignitate totus fulgurans (vt nunquam vel Regum obitu deſinit) iterum cogitur, circa decimam Delphinus candido & dimiſſo ſonipede vectus, ſtipantibus tribunis militum, & vtriuſque militiæ torquatis equitibus, ad Senatum deducitur, quâ iter fecit effuſiſſimæ turbæ, irrequieti illi clamores, *viuat Rex*. Vt Lutetia caput & cor regni eſt, Regum Regia, ſic Cancellarius, & Patr. Conſcrip. ſunt aſſertores legis Salicæ, portus inter ciuiles procellas, domeſticarum factionum ſecuris, vinculum pacis, à quibus ſuprema media vel infima tribunalia, non modo rerum forenſium, ſed politici & publici regiminis exemplum capiunt. At ſi vnquam Cancellarius, Senatuſque olim ſingularem & ſalutarem opem regno præſtitere, certè fuit fatali illo veſpere, qui Lutetiæ omnia luctu & mœrore compleuit.

Ludou. Seruinus Triumuir Regius, qua eſt expedita & mirabili facundia, ſtrictim de Henrici IIII. ſummis virtutibus nonnihil delibauit, Principes, Francicæ coronæ adminiſtros, proceres, tribunos militum, vniuerſoſque ordines ad mutuam animorum coniunctionem, fulcrum Regni, Regis & Auguſtæ obſequium cohortatus eſt. Poſtquam fari deſijt, incœpit Achilles Harlæus, oratione plane digna illo Neſtore: adhibita verò quam celerrimè illa medela publico & adeo lethali vulneri, Cancellarius, Senatores ſummique proceres, nobis poſt futuriſque exploratum fecere, illis omnibus tanquam Atlante & fulcro inconcuſſo labens regnum inniti: nam ſi quis priſca ſæcula

reuoluat, rerumque euentus altius recogitet, inueniet profectò Monarchiæ Gallicæ perennitatem, post singularem illam numinis tutelam & prospicientiam, Cancellario, P. Conscrip. Tribunis militum, officialibusque coronæ esse referendam, si nostros & coæuos Annales excutimus, quod non sumus Hispano-belgæ, quod Galli, quod intus & in cute candidi, nec Iberica ferrugine sumus infuscati, togatæ militiæ tribuendum est, qua vindice, corona integra manet, lilia inconuulsa, non eradicata, non euulsa à tot ciuilibus procellis, fracti perduelles, factiosi compressi, audaces & prurientes ad res nouas coërciti, ita vt regni summum robur in legum publica vindicta situm sit. Vna & altera die excubiæ ad portas, quæ tertia dimissæ, ita præter omnium expectationem, ad paccatum regni statum omnia spectant. Comes Suessioneus, regij primique sanguinis Princeps forte aberat, illicò per celeres equos de reditu rogatur, accepto ferali nuncio plurimum doluit, accinxitque se itineri, & 16. Maij circa primam à meridie vrbem accessit, illi obuiam itum est, inuisit Augustam, summa & fida omnia pollicetur. Audite verò quo infando scelere Rex inuictissimus necatus sit. Omnia ille ad triumphum Lutetianum Augustæ, stupenda & magnifica parauerat, ad officinam tormentorum ibat, cum Ducibus Espernonio, Montbazonio, alijsque, qui omnes vna rheda vehebantur, à Brossio fatidico præmonitus fuerat, vt die illa sibi ab insidijs caueret, Dux Vindocinensis abituro Arioli minas repetit, vt nugacem Brossium & falsum

M. DC. X. vatem Rex explodit, metu dubiæ ſortis ſatellites comitari voluerũt, negat ille, & domi eſſe quietos iubet, tantum pediſequi rhedam inſequebantur, quæ vbi in vicum Ferrarium deuenit, præpedita onerarijs plauſtris, tantillum heu? nimium hæſit, pediſſequi relicta via publica, per fornices cæmeterij Innocentium pergunt, ſicarius excubitor ad cædem, qui audierat iuſſum ſatellitium ſubſidere, fiducia ſceleris exequendi, rhedam erat inſequutus, vt illam ſic hærentem, Regemque auerſo vultu cum Eſpernonio obloquentem, vbi ſublimen in rhedæ ſuggeſtu videt, rotæ axem conſcendit, ac cultro primum leuiter fodit, mox repetito ictu pectus tranſadigit, percuſſum ſe Rex inclamat, mox vt latum & lethale erat vulnus, illatumque ea parte quæ maximè vitalis eſt, quæque cordis eſt conditorium, illo ſanguis ore etiam & naribus erumpebat, tam defrenato fluxu, vt ad limen Luparæ expirauerit, prius tamen qui fortuitò adfuit Antiſtes, cum anima in ſupremis eſſet labijs, venia illũ delictorũ impertiuit, medicum myſticum moriens agnouit, & quod præcluſis faucibus voce teſtari nequijt, nutu & oculis in cœlum defixis, Christianè mori ſe teſtatus eſt. Regium cadauer diſſectum, omnium mœſtitiam auxit, in eo enim illæſa præcordia, nulla labe affecta, quæ longæuam vitam illi ſpondebant, niſi hanc omnium vitalem vitam, publicus ille hoſtis patriæ ſecuiſſet, mitius enim ſublatum lugeremus, ſi ex ſecti cadaueris præcordijs non diutius vel breuius victurum fuiſſet cõiectum. Functorum probitas, quamq; neceſſarij, amati, cupiti fuerint ex publico luctu di-

gnoſcitur. Henricum Valeſium, quī à partibus eius ſtabant ſoli meritò & immortaliter defleuerunt, auerſi ab eo ſecus, ne quid deterius adijciam. At recens ſublatum non Aulici, non quoś ingentibus beneficijs multos ſibi deuinxerat, ſed vniuerſi perditè, inſolabiliter luxere, lugebuntque, quandoquidem carendo magis quam fruendo quantus eſſet, vel in hoc præter expectationem, ſingulari ope numinis paccato rerum ſtatu, experimur. Æmuli imò hoſtes ipſi, ad inuitum luctum cogũtur, quod ſi lachrymis, vel hominum lanienis quaſi victimis, mortales rediuiui forent, quot Decij, quot Curtij, pro illo ſe deuouiſſent? ſed vt de fato ineluctabili querebatur vetus ille ſcriptor,

Panditur ad nullas ianua nigra preces.

Si fas verò ex re mala, bonum omen capere, omnia in iſto turbido & irrequieto ſalo ad tranquillum ſpectant. Henrici III. obitus certè feralis, ſed regni ſtatus longè turbidior fuerat, vrbes fœderatæ, magna ex parte nobiles, vel ad inſaniam vt in eum coniurati fuerant, ſic nec in defuncti memoriam manſuetiores. At Henric. quartum omnes lugent: Priſci Annales Lutetiam regni caput Regiamque memorant, à qua reliquæ vrbes pacis & belli exemplum capiant, quod ſi vnquam illa in Reges obſequium teſtata, certè fuit die illo, vel cum omnia ad Auguſtalem triumphum fauſta & genialia eſſent, qui inſperato luctu compleuit: vt verò fabulantũr Pollucem exoriri, cum Caſtor occidit, ſic repentè publicè & compitatim renuntiatum, viuere Regem, imperatumque turbis, vt hanc vocem

M. D C. X. geminarent, *Viuat Rex:* oſtento ſimile eſt, in luctu fuiſſe lætitiam, mœſto pectore oculiſque madentibus vulgus inclamaſſe, quod fauſtum & geniale eſt. Aliquot tamen, qui res nouas & turbida omnia affectant, vt ſublatum Regem audiuere, vel in Lutetiano agro priſca latrocinia auſi ſunt, alij per vias publicas graſſatores viatoribus vim intulere, nec ab aulicis viris temperarunt, alij arces munitiſſimas dicto ocyus occuparunt, iamque illas ad tyrannidem & officinam prædationum conſtituebant, cum illicò Auguſtæ, Senatus & procerum mandato cœptis feralibus abſiſtunt. 27. Maij, ſcelus iſtud (ſic notare portentum lubet, quandoquidem illius tetro nomine hanc fœdare paginam horret animus, & facio quod olim Græcia, quæ Annalibus nominari illum vetuit, qui Epheſinum Dianæ delubrum igne conſumpſit) traha ad ædem virginis dirus homo raptus, exuitur veſtibus, induſiatus & tedifer, pronus in genua, capitale iudicium audijt, quo damnatus execrari facinus, dehînc ad plateam Grauiæ, ad exquiſitiſſimos cruciatus rapitur, primùm dira manus quæ parentem patriæ ſuſtulit, trito ſulphure & tormentario puluere ſuper candentes prunas ſæpius iniecto, lento igne exuritur, dehinc brachia, mammæ, crura, ſuræ, ignito forcipe ſtringuntur, mox partibus his vſtulatis, oleum feruens, pix, cera ebulliens plumbum liquefactum infunditur, tandem quatuor iugalibus in contrarium actis, ægrè admodum diſcerpitur, in longo & horrendo illo pœnarum ſpectaculo, in ſicarium diræ voces, eiulatus, deuotiones & plauſtra conuitiorum,

ita vt ab illo vix iracundum vulgus temperauerit. At memorandum posteris, quempiam ex regio satellitio equitātem, cum ex equis laniantibus, alterum segnius remissiusque agentem videret, in pedes desilijsse, equo ephippia detraxisse, iugo & rudentibus alligasse, flagello & clamoribus ad lanienam monstri concitasse, vltrò etiam multi agitatores equorum fuere, ita publicæ vltionis omnes appetentes erant, & recordatio tanti Regis, ad omnem sæuitiam vniuersos exasperabat, cadaueris fragmenta rapta à vulgo, & compitatim per volutabra raptata, obruta luto & saxis, perfossa mucronibus fuere, ita viuax odium, vt morte adeò cruciabili satiatum non fuerit. Cumque vt moris est, adhibitus sacerdos ad curam animæ & salutis, precationem inchoasset, nemo voce præeuntem insequutus est, quinimò incondito fremitu inclamatum, non egere precibus, qui magnitudine sceleris cruciatibus inferorum deuectus esset: Indictum etiam, vt domus quæ natalitia, & impiata cunis tam fœdi portenti, solo adæquaretur, neue in posterum quidquam areæ superstrueretur, parentibus vt intra quintum decimum diem, à publicato Senatusconsulto regno facescerent, ni fecerint, indicta illis pœna laquei, præscriptum etiam gentilibus, agnatis, omnibusque cognominibus, vt antiquum & ferale nomen mitiore mutarent. At mortalium scerrimus, non equuleo, fidiculis, laminis candentibus, exquisitisque pœnis, adduci potuit vt si quos habuit flagitij suasores & conscios proderet, ita silentij tenax, vt lingua tacendo non mi-

M.DC.X. nus forſan nocuerit, quàm dextra feriendo. Nil mirum videri debet, ſi vbi deprehenſus fuit, & in publica & priuata cuſtodia aſſeruatus nuſquam viſus facti pœnitens, vel in acerbiſſimo cruciatu tacere & loqui pertinax, nam vt ſcitè Chriſtianus doctor: *habet diabolus ſuos martyres, nec enim pœna, ſed culpa martyrem facit,* huiuſcemodi ganeonibus affectatus eſt tormentorum deſpectus, ſic olim Spartæ nebulo, cum ſubreptam vulpeculam, intra cutem & interulam abdidiſſet, comprimeretque, tacitus morſus & laniationē paſſus eſt, ne voce furtum proderet. Sic Philippus quidam, Fuluij Flacci ſeruus, octies tortus nullum omnino verbum emiſit, ita peſſimis ingenijs obſtinatio pro virtute eſt, & falſæ gloriæ quaſi facibus ſuccendit. At non credibile eſt ſuaptè ſine monitoribus, tantum facinus aggreſſum, atque ſuſpicionem maximè auget, quod apud exteros, rumor cædis ipſam anticipauit: audio enim veredarium curſorem fines regni prætergreſſum, biduo ante regiam necem rogatum, num Rex cæſus fuiſſet? In hac vero rerum acerbitate, erga defuncti memoriam ſummus cultus & obſeruantia populorum, inque filium ſuperſtitem & Auguſtam incredibilis amor, ſtudium & obſequium bonos omnes plurimum ſolatur & recreat, longè enim à veteri inſania abſumus, cum olim deterrimi Francorum, falsò cognominatum Clementem regium ſicarium, Diualibus faſtis aſcripſerunt, Caſtellæum æquè piacularem, ob tentatum ſimile facinus, ſed infecto minus dirum, Apologetico opuſculo laudarunt, qui peſſimo exem-

Val. Max. de quaſt. c. 4.

plo ſcribendi faciunt, vt in poſterum in perpe- M. DC. X.
tua trepidatione Regum vita verſetur, & Regem nunc eſſe quantumuis forti ſatellitio ſeptum, iam non tutum ſit: profectò buccinatores illi ſicariorum, cum illis pari cruciatu adæquandi ſunt, nam inter ſuaſorem facti & patratorem quid intereſt? cum vnus cruenta manu, alter mente reus ſit? quinimò acerbius illi puniendi ſunt, qui propoſita ganeonibus & nebulonibus falſa beatitatis ſpe, eos ad regias cædes impellunt, cum tamen auſo vel peracto facinore, ad æternos inferorum cruciatus detrudant, vt certè Clemens ille, Caſtellæus, & quem nominare horreſco recẽs ille, tantum abſunt à cœlo, quantum ima voragine Tartari demerſi ſunt. Illi verò animorum venefici ſcriptores, non modo in humanas leges, ſed in Dominicalia præcepta committunt, non enim ſolum Reges Deus, (quos ſuos Chriſtos vnctos Deoſque minores paſſim nuncupat) ſed quemlibet proximum interficiendum prohibet, contemptoribus adiecta pœna propriæ necis. Hi verò calamo mucrones acuunt, oratione tanquam claſſico vtuntur, de imperijs regniſque, quaſi ab eorum nutu pendeant, ſtatuunt, ita vt ab illis faſcinatus quilibet ganeo & perditus, ſibi tyrannum vbi finxerit, illicò regno & vita Imper. & Regem exuat: dogma peſtiferum, veneficum, hæreticum, iampridem antiquis & recentioribus Concilijs damnatum, quod inſectari, deuouere, eradicare ex omnium animis, contraria ſcriptione quamprimum enitar, in hac enim rerum ſcena & ſicariorum crebreſcente audacia, fibræ tam por-

M.DC.X. tẽtosi seminis auerruncandæ sunt: *Vre, seca, lania*, perstant, falsa pollicitatione beatitatis, vt quondam in Syria Saladinus, impar Christianorum viribus, perditum quemque & audentissimum papauereo poculo sopitum, in amœnissima vireta deuehi curabat, postquam euigilauerat, epulis saliaribus, promiscui sexus ministerijs, iuuencularum suauijs, nemorum delicijs, atque omni voluptatum genere vbi expleuisset, alio poculo rursus sopitum, per nescio quem delirum vatem, ad Christianorum principum cædes cohortabatur. Illi autem concepta fiducia, peracto scelere in huiusmodi campis Elisijs, sempiterno æuo se fruituros, intrepidè medijs in castris & satellitio, despecta omni sæuitate tormẽtorum, Christianos Principes necabant: at huiuscemodi portenta falsi dogmatis renouarunt illi, qui Reges vnctos domini (quos tyrãnos falsò prædicant) iugulare, cuilibet vel sine publico decreto fas esse putant.

Senatus Parisiensis pari antecessorum prudẽtia, veterem insaniam recrudescentem, & nostro sæculo crebriorem coërcuit, indixit enim 27. Maij scholæ Sorbonicæ, vt Basiliense decretum super horrendis nefarijsque assertionibus Ioannis Parui, habito consessu omnium magistrorum renouaretur, nec mora, Sorbonici Theologici accitis Nauarreis & Cholleteis concordi omnium assensu, decreti vetustate penè obsoleti rubiginem detergunt, ac posito senio recenti promulgatione iuuenescere faciunt: prudenter & politicè à Senatu, religiosè ab ordine vniuerso Theologicorum factum: nam vt agri quan-

tumuis vberes feracesque aspretis & senticetis squallent, nisi vomere renouentur, sic leges situ & scabricie annorum, affectæ & penè morientes, nisi ad vitam & vsum reuocentur. Vt verò sciant omnes, ab Oecumenica Synodo hæreticam Ioannis Parui vel potius insigniter praui doctrinam damnatam, assertoresque & conscios hæreticos nefariosque fuisse pronunciatos, placuit decreti Constantiensis formulam exscribere.

Præcipua sollicitudine volens hæc sacrosancta Synodus, ad extirpationem hæreseon & errorum, in vniuersis mundi partibus inualescentium procedere, sicut tenetur & ad hoc collecta est, nuper accepit quod nonnullæ assertiones erroneæ, in fide ac bonis moribus ac multipliciter scandalosæ, totiusque Reip. statum & ordinem subuertere molientes dogmatisatæ sunt, inter quas hæc assertio delata est, Quilibet Tyrãnus potest, ac debet licitè ac meritoriè occidi, per quemlibet vassallum suum vel subditum, etiam per insidias, blanditias, vel adulationes, non obstante quocunque iuramento seu consideratione cum eo, non expectata sententia vel mandato iudicis cuiuscunque: *Aduersus hunc errorem satagens hæc sancta Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere, præhabita deliberatione matura, decernit declarat & definit, huiusce modi doctrinam erroneam esse in fide & moribus, ipsamque tanquam hæreticam scandalosam seditiosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria vias dantem, reprobat & condemnat, declarat insuper, decernit & definit, quod pertinaciter doctrinam*

M. DC. X. *hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici & tanquam tales, iuxta legitimas & canonicas sanctiones puniendi sunt.* Ioannes Gerso Parisiensis Academiæ Cancellarius, palestræ Sorbonicæ summus pugil, & in profliganda huiuscemodi hæresi ineluctabilis, dialogo Apologetico decretum Synodicum officiosissimè & vt plurimum extulit, sic in praui illius asseclas ore Theologico detonat: *Manet in robore suo detestatio falsitatis & hereticæ prauitatis, manet approbatio tam solemnis sacræ Theologiæ Facultatis in Vniuersitate Parisiensi, cui centum & quadraginta vnum Theologi, manibus proprijs subscripserunt, manet similis approbatio præclaræ facultatis Decretorum, in eadem vniuersitate, quæ similiter in se tota pondus approbationis suæ dedit, sub litteris patentibus, manet authenticum valde Parlamenti Regij decretum, vel arrestum huiuscemodi doctrinæ cum tota propositione Ioannis Parui capitaliter damnatiuum, manent deliberationes solemnissimorum Theologorum de diuersis studijs, quos peruersa non subuertit affectio, manet denique iudicium sacræ Synodi generalis integrum.*

Henric. IIII. sacro ceromate vnctus fuerat, Lodoici indigetis germana proles, non tam auito iure Regnum, quam iustis armis sibi vindicauerat, vtque lilia & regiam celsitudinem seponamus, prudentia, æquanimitate, fortitudine & clementia (quæ dos sua peculiaris fuit) Reges omnes qui fuere & qui futuri sunt superauit. At saltem Barbari feritatem, Regis frons exporrecta, & priuata in eum comitas exarmare-

debuit: nam ipso mane illum ad cædem speculantem, audentiusque anteambulonibus se inserentem, præfectus domus Augustæ, cum voce primum, mox fuste submoueret, Rex seuerius agentem, hac voce compescuit, *quid ita huic misero molestus es?* Vt tota vita Iulium Cæsarem ingentibus factis æquauit, sic moriens mortuusque: Cæsar enim (vt refert laudator suus) religiones fatidicas quæ illum monerent, quæque renuntiarent amici neglexit, custodias cum gladijs à se remouit, Spurinam de Idibus Martijs minantem, vt falsum arguens irrisit, à Casca deterrimo & postremissimo hominum, primo & lethali vulnere appetitus, confossusque ad primum ictum, gemitu sine voce edito, atque ex pluribus arbitratu Antistij Medici vnum vulnus lethale fuit: in funere & rogo plurimi detractas sibi vestes, atque discissas iniecere flammæ, legionarij arma sua, matronæ etiam plæræque ornamenta quæ gerebant, & liberorum bullas & prætextas: in publico luctu exterarum gentium multitudo circulatim, suo quæque more lamentata est, præcipuè Iudæi qui etiam noctibus continuis bustum frequentarunt: plæbs statim à funere, solidam columnam prope XX. pedum lapidis numidici in foro statuit, scripsitque *parenti patriæ:* perijt Cæsar sexto & quinquagesimo ætatis anno, atque in Deorum numerum relatus est. Curiam in qua occisus est obstrui placuit, Idusque Martias parricidium nominari, ac ne vnquam eadem die Senatus ageretur. Plura sunt de Cæsare, quæ Henric. IIII. conueniant, primum despectus

M. D C. X.

M.DC.X. ille vaticiniorum, & monentium vt die illa à percussoribus caueret, satellitij domestica custodia remota, ictus ab ignauo & Casca ipso despicabiliori, ab ipso vulnere vox præclusa, singultu tantum emisso, ex duobus vnum tantum lethiferum vulnus, viri, matronæ, innuptæ, impuberes, patritij, nobiles, milites, plæbs & promiscuè genus omne hominum mortuum, vt parentem patriæ luxerunt, annis aliquot Cæsare senior decessit, diem Maij decimum quartum, vt Roma Idus Martias, parricidium Gallia nominabit, in cœlum receptum & Diuum factum, boni omnes credunt, & beatum prædicant, omniaque mortales illi præter aras & thura decernunt, Cor regium, in Basilicam Diui Ludouici, balsameis odoribus perfusum Ignatiani transtulerant, ibique conquieuit, donec Calendis Iunijs, ipsimet Duce Montbazonio, Varaneo & pluribus Flexiam (vbi Rex fuerat conceptus, atque vbi si quando de nouissimis rebus & fatali hora cogitaret, velle cor suum recondi professus erat) detulerunt.

Quamuis autem nouelli Reges, Antecessorum seruandis Edictis obnoxij sint, & priuatim filij parentum, placuit tamen Nannetense renouari, ne quid religionis disparis cultores, ad suam publicamque securitatem prorsus desiderarent, illud verò sic ex vernaculo, nos latinitate donauimus.

LVDOVICVS DEI GRATIA FRANCORVM ET NAVARREORVM REX, *Omnibus hanc nostræ sanctionis paginam lecturis,*

faustum sit. Ab immani & horrenda illa cæde præcelsi & plurimum colendi genitoris nostri (cui numen propitium sit) Augusta vicaria regni parens nostra, æquè nobis colenda, quantumuis alto pectore saucia, oculis iugi fletu madentibus, qua est animi celsitudine & prudentia, vt plurimũ enixa est, ne mihi priuatim Regno & subditis, exinde quidquam noxium succresceret, huic curæ obnixè incubuit, tum ob eum quo me amplectitur maternũ affectum, tum ex votis suffragijsque liliatæ stirpis, aliorumque Principum, Antistitum, Patriciorum, officialium, administrorumque Francicæ coronæ, decreto Lutetiani Senatus concreditam regni procurationem, me in excelso solio iustitiæ assidente & annuente. Solertia & sedulitas optimæ parentis, procerum nobiliumque qui affuere, Lutetianorum ciuium fides & probitas ita emicuerunt, vt nec in eorum cultu & obseruantia, nec in Augustæ prudenti regimine quidquam desiderari possit, Lutetiæ non solùm paccata omnia, sed in dies de vniuerso regni tranquillo statu, prouinciales legatos nunciosque accipimus, ita vt inter religione discrepantes, nulla prorsus sit in rebus politicis discrepantia, quinimò inter vtrosque, de obsequio & bene merendi officijs, est veluti quoddã laudabile certamen, ex illa olim diffidentium animorum coniunctione, Deo agendis gratijs maximè obnoxij sumus, quo auspice ea spe ducor, vt ille qui stator seruatorque imperij nostri fuit, totque exhaustis periculis illud olim & tandiu eripuit, vt tot sæculis effloresceret, impuberi meo æuo præsidium & fulcimentum suum non negaturum, vt ad sui nominis gloriam cum pietate & vir- M.DC.X.

M. DC. X. *tute adolescam, quod vnum efflictim ab eo deposco vtque consilia & salutaria monita calitus inspiret, quibus concreditos mihi populos, paccatos & vnanimes regere valeam, cum post numinis prouidentiam, regni inconcussi fulcrum sit ciuium concordia: nam experientia & rerum vsu antecessoribus Regibus satis exploratum fuit, frustra vi & armis, ad Apostolicos & Romanos ritus, qui ab illis defecerant fuisse impulsos, quinimò inefficax remedium damno fuit, quod vbi experti sunt, colenda religionis sua veniam indulserunt, amulatus id ipsum pracelsus genitor noster, vtq; auersos animos conciliaret, Nannetense Edictum tulit, quo promulgato, seruatisque illius decretis pax inturbata coaluit, & quamuis lex sit fixa, quaque non sit refigenda, nec ratihabitione egeat, nihilominus ne quis de nostra mente dubius sit, vtque constet omnibus mihi immotum esse, vt sanctio illa Nannetensis, tanquam lata ad quietem Orthodoxorum, aequè vt aliorum inconcussè seruetur.*

Notum & publicum facio, quod me cum Augusta parente Regni vicaria assidente, re sedulò perspecta ex consilio & assensu Principum nostra & liliata stirpis, aliorum etiam Ducum, Patriciorum officialium Francica Corona, insigniumque procerum Consistorij nostri, statuo, decerno, volo ac lubet, vt Edictum Nannetense, atque illius appendices, decreta, & Senatusconsulta ad illius explicationem lata, rigidè & sigillatim obseruentur, quique minus obtemperantes fuerint, velut publica quietis turbatores, vt coërceantur omnibus iuridicis districtè mando, neuè sanctionis despectum inultum patiantur, quod si id ipsum vin-

dicare neglexerint, cum despectoribus eadem seueritate pœna æquabuntur, Datum Lutetiæ 22. Maij. M. DC. X.

Huic sanctioni noua addita, qua seuerissimè indictum, vt qui statim ab excessu regio, vel proteruitate & pruritu rerum nouarum, vel forte ad præsidium Regni & prouinciarum, arces & castra occupauerant, milite & bellico commeatu instruxerant, commilitones turbasque acciuerant, vt quamprimum relictis arcibus, castris, præsidiarijs custodibus, dimissaque omni molitione, priscæ quieti se redderent, si minus obsequentes fuerint, præfectis prouinciarum togatis & succinctis, ac etiam latrunculatoribus iussum, vt illicò tanquam perduelles, & quietis publicæ turbatores eos comprehendant, de hisque indictas edictis pœnas publicè exigant. Nihil profectò conducibilius quam fræno illo legum, homines ad latrocinia publica iam se effundentes cohibuisse, ni maturè eorum audaciæ & furori obuiam itum esset, quot sunt munitissima castra & arces, tot latibula & latrociniorum officinæ fuissent.

Andreas Hacquauillæus, qui nuper Dorseium collegam suum funebri laudatione erat prosecutus, nunc fato functus, à superstitibus Hannequino & Vadopæano Prætorianis Præsidibus, eandem quam ipse alteri impenderat, vel cumulatiorem habuit: certè togatorum præstantissimus ille fuit, siue oris egregiam speciem reminiscimur, probos priscos & melioris sæculi mores, æqui summam obseruan- *Obitus & Elogium Andr. Hacquauillæi in mag. Consi. Præsidis Clariss.*

M. DC. X. tiam, eruditionem variam & reconditam, quam mansuetioribus musis, & Latinæ poëtices suauitate, inter fori seueriores curas demulcebat: vultu graui fuit, sed comitate incredibili temperato, qui vt æquè iudicaret áduocatis æquus admodum, atque auribus subactis, fuit, vt qui crederet lites non nisi operosè & perspicuè explicatas intellectasque, ritè & rectè iudicari posse. Abstineo pluribus virum prædicare, cuius fama maior stilo meo est, tam beatus viuens moriens mortuusque, vt Deo, cuius cultor summus fuit, charissimum fuisse, omnes qui eum nouere, verissimè credant. Fœlix qui altera die post Regiam cædem, ea non audita, terris subductus est, tunc enim mori dulce fuit.



FERALIS MAIVS.



EV! qui mensis eras quondam pulcherrimus Anni,
Veris honos, nemorumque decus, quem Flora nitenti
Pingebat cultu, mulcente Fauonius aura
Cui vernas afflabat opes, & quidquid odorum
Frondicomumque parit, gremio terra alma feraci:
Olim qui fueras, nunc desinis esse, sinister,
Dirus, atrox factus, versusque ad funera Regum.
Dolia plena dolis, cæco per compita aceruo
Congerere ausus eras, Regemque furente pauentem
Plebe fugas, nunquam in Lupara atria celsa reuersum:
Occidit & Maio nonus qui hoc nomine Carlus,
Arx vbi turritum tollit Vicenna cacumen:
Grande nefas, sed maius adest, cadit inter amicos
Amplexus, celsi decus Augustale triumphi
Picta trophæa inter, plausus & ouantia vulgi
Agmina, dum tota feruent spectacula in vrbe,
Quam melior, maiorque aliys, qui nomine quartus
Henricus, cadit immitis sæuo impete cultri:
Nil nisi ego faustum, lætum & geniale canebam,
Texere pompam omnem, lætio meditabar honore,
Iamque parata typis lucem affectabat, in atrum
Cum luctum, inque truces conuersa repentè querelas,
Lætum delet opus manus indignante litura,
Lætitiam Libitina fugat, laurumque cupressus,

Nænia ferales tota occupat atra Camœnas,
Ergò inuictè iaces, cui vis nulla efferа Martis,
Non acies, non Belga truci sociatus Ibero,
Non diuisa ferox, olim ciuilibus armis
Gallia, non huius iurata in funera gentes,
Incussere metum, Regum Rex maximè, terras
Quos videt illustrans Phœbus, seu manè recentes
Iungit equos oriens, seu vespere soluit anhelos
Fatidicæ vatum voces, non Brossius Augur
Non portenta Deûm, non somnia turbida spectris
Omnia non potuere minas auertere fati,
Regiaque immites ad funera flectere Parcas.
Ecce satus Cocyto, Erebi trucis horrida proles,
Pestis & ira hominum, portentum immane, nefandus
Lixa, nepos solo affectans à crimine famam,
(Ut qui Ephesi exussit Diuæ delubra Triformis,)
Regale exilis transfigit acumine ferri
Pectus, & hanc animam, quæ animas tot alebat ademit:
Tu Lybiam infamem monstris mixtoque ferarum
Concubitu superas, quæ portentosa ferino
Gallia Lestrigonum nunc partu, ad funera Regum,
Auellenda tuis ad candida lilia campis,
Viperos generas fœtus, tua qui vbera Reges
Corque, animamque tuam, diro mucrone reuellunt:
Credere non poteris proles ventura nepotum,
Tam dirum hocce nefas animis mortalibus ausum?
Ut ganeo ignauus, fœdoque ignobilis ore,
Terra colluuies, fungus, Titania proles
Inferno suadente scelus, furiatus ab Oestro
Tisiphones, Gallus tam Gallo infidus, Ibero
Quam fidus, Regni & Regis sicarius audax
Ut summos inter proceres, diro impetit ausu,
Transadigitque ferox repetito vulnere, & alter
Materna ille Nero tua viscera Gallia rupit,

Ipsa etenim tali & lethali concidis ictu,
Non satus es de stirpe hominum, te te extulit Orcus,
Et super Eumenides ripis graue olentis Auerni,
Uberibus pauere feris, natoque venenum
Infudere truces, ferroque Acheronte recocto,
Armauere manum, ad Regalia fata cruentam:
Non qui Caucasius fodit immortalia vultur
Pectora, Sisiphius lapis, & pertusa Sororum
Dolia, & vnda fugax, saeuique Ixionis orbes,
Poenarum quidquid, Siculi inuenere Tyranni,
Inque Perilaeo qui mugiit aere iuuencus,
Atque per ima sudes quae transfiguntur acutae,
Turca solet, quibus ipse suos punire nocentes,
Atilij quaecumque ferox tibi Regulè Paenus
Intulit, & crebro quem consita acumine ferri
Dolia torserunt, palpebraque clausa soporis
Indocilem fecit, dirum & cruciabile quidquid,
Non satis ingentes sument de te impiè poenas,
Tu Castelaeo consorte nocentior, ille
Par scelus aggressus, sed quod minus efficit ictu
Exitus obtuso, at tu non nisi caede peracta
Absistis scelere, & factum non impius horres.
Maior tormentis ferro & pugnacior igne
Suasores forsan sceleris tegis ore fideli,
Lingua nocet non muta minus, quam dextra cruenta,
Et memorare vetas socios, quos scire necesse est,
Proditor ô scelerate negas haec prodere, crimen
Quae minuant, meritas augentque silentia poenas:
Vidi ego diuersi raperent cum membra iugales,
Omne hominum scutica genus, exagitasse feroces,
Indigno pede calcabat, fodiebat acutis
Cuspidibus, lacerabat atrox, lacerata minutim,
Carnificisque auulsa rogo fragmenta trahebat,
Vulnera & exanimi plebs adijciebat, amoris

Grande sui pignus, nec tot cruciatibus ira,
Vltio nec satiata truci iustissima morte,
Partibus infusus plumbi liquor igneus vstis,
Lamina non candens, non forceps flammea, & igne
Lento tosta manus, tanta quæ conscia cædis,
Non membra Hippolyti laniatu auulsa feroci,
Sint licet hæc horrenda, tamen non crimen adæquant,
Omnis pœna minor, sceleri mortalis & impar
Vis quæcumque, isto vel crimine mitior Orcus,
Nostrarum vitam altricem, monstrum illud ademit,
Fati expers sed fama manet, nec auara triumphos
Eripiet Libitina, suus victricibus armis
Dum constabit honos, dum lilia & ordine longo
Canescent sæclorum, æuo tu Henrice perenni
Viues, exemplum venturis Regibus vnus.
Mausolei addat Phidias in marmore, partas
Lauros, tot pugnas, tot bella exhausta secundo
Marte, ad littorea malè mænia tuta Dieppæ,
Quæ malè Ibericis pugnauit Iberus in aruis,
Et quæ fons Francus, paucis pugnata maniplis
Vidit in innumeros Gallis socìantibus hostes,
Reddere & Allobrogem nobis malè adempta coactum,
Alpinas Franco superatas milite cautes,
Atque suis totum tremefactum viribus Orbem,
Rhenum, & Sequaniæ metuentem fulmina gentis,
Atque Aquilas sub liligero victore pauentes:
Augustum, atque Titum veluti fleuere Quirites,
Et quos Roma bonos habuit, pulsisque Tyrannis
Sicut Aristidem, gens Attica Thrasybulumque,
Atque redemptores qui libertatis Achiua,
Fleuit, Borbonidem, sic Gallia luget ademptum
Flebit & æternùm, dum fluctus voluet in æquor
Sequana, & Oceano soluet fluuiale tributum
Tu Titus, & tu delicium, tu Galliæ ocellus,

Plebis amor, miraclum æui, speculum omnibus Orbis
Regibus, & bello, quem pace imitantur & ipsa:
Ut solet esse odium, vita vox vera nocentis,
Sic fleri à cunctis post funera, pignus amoris
Magni, teste vno quo vita decora probatur:
Romulidæ, diros sic quondam odere Nerones,
Caligulosque truces, & cui dant commoda nomen
Moribus auersum, gentis portenta Quirinæ.
Quam benè in effusos Maius nunc soluitur imbres,
Atque æquat nostros nimboso sydere luctus,
Nubibus ac ruptis magno Regi Æthra parentat,
Cogis nos, veteris renouare Lemuria Mai,
Manibus inferias, quo gens Romana parabat
Quo feralis hymen, nec vincla iugalia nuptis
Prospera, quo delubra Deûm conclusa silebant,
Iam mihi tu informis, Iano & squallente pruinis
Horridior, Maio iam Bruma placentior omni,
Ver, Zephyri, nemorũq; comæ, & mihi frondea sordent,
Atque suburbanum nemus, & mihi displicet hortus,
Quæque fori strepitu fessum, mulcere solebat
Multa nemus dignata meum Lucinia, mœsto
Iniucunda canit, placet exequiale sinister
Bubo canens, vlulæ, quique omnis lethifer Ales.
Castore vt extincto, Pollux alternat adempti
Munia fratris, & auricomo se se erigit ortu,
Atque à fraterna fulgorem morte resumit,
Sic iubar Henrici, postquam splendere soloque
Desiit, & cœlo nouus indiges ille receptus,
Ecce sui pars magna, huius solatur adempti
Occasum exoriens, regni Lodouicus auiti
Hæres vt patriæ simul & virtutis auorum,
Non tantum Aula, omnis pullatos Gallia amictus
Induat, omittat choreas conuiuia luxus,
Et quæcumque solet committere ludicra vulgus

Cinthius ille nouus, nonum iam contigit annum,
Iam premit extremum, iam cogitat arma, frementes
Ardet equos, fingitque acies simulataque castra,
Fortior æquæuos imbelli Marte lacessit,
Degener inuicti catulus non ille Leonis,
Ignauusque Aquilæ pullus, qui sydera spectet
Conniuente oculo, radiis solaribus impar:
Latona, errantem vt compescuit æquore Delon,
Edidit vt partus, Phœbum Triuiamque gemellos,
Sic fulcit Medicæa, ruentis pondera regni,
Ritè suum quæ magna Thetis moderatur Achillem,
Spes iubet esse ratas, ad ciuica prælia hiantes
Comprimit, excutiens scelerata rebellibus arma,



A L'AVGVSTE ET HEVREVSE MEMOIRE DE HENRY IIII. *Roy de France & de Nauarre.*

TV es donc Ecclypsé,ô Soleil de la France,
Le parangon des Roys, merueille de nos ans,
Grand Atlas dont l'espaule aux fais les plus puissans
Ne courba,qui n'eus rien plus grand qu e ta puissance.
Qui fus tousiours vainqueur, & qui vainquis toy-mesme,
Pardonnant aux vaincus terrassez par ta main,
Auquel plus que le fer le naturel humain,
Donna plus de lauriers,que la rigueur extresme.
Tant de barbares Roys,ne regnent que par force,
Par l'effroy des gibets, plus crains & moins aimez,
Toy plus aimé que craint,les plus ennenimez
Contre toy, tu gaignas par vne douce amorce.
La valleur fut le sang,le plus pur de ton ame,
Ton bers fut couronné de Palmes, de Lauriers,
Ton poil gris en verdit, au milieu des guerriers,
Mais ta clemence fut de tes vertus la Dame.
Le fer dont tu tranchas l'orgueil des aduersaires,
Fut conduit d'vne main qui ne faillit iamais,
Tu sçeus les arts de guerre, & les arts de la paix,
Accordant ce qui est ensemble plus contraire.

Tu marias si bien le Laurier & l'Oliue,
Que ces deux verds rameaux t'ombragerẽt tousiours,
Leur entrelas ourdit la trame de tes iours,
Et ceste plante encor en ton sepulchre est viue.
Au milieu des assaults, au plus fort des alarmes,
Bellonne auec Venus, Cupidon auec Mars
Tu ioignis, la douceur des lettres & des arts,
Roy de paix & de guerre, à la terreur des armes.
Tu fus Cesar en guerre, & en paix vn Auguste,
Vn Aristide bon, si tu eusses eu le cœur
Auare à conquerir, comme tu fus vainqueur,
Tout le monde eust ployé, dessous ta main robuste:
Tu fus content du tien, ne pouuant magnanime,
Souffrir qu'vn estranger, vint ton lis esbrancher,
Paisible à ceux qui ont voulu te rechercher,
Rude aux autres, qui ont prouoqué ton escrime:
Paris n'estoit qu'horreur, de misere il souspire,
En masures affreux, & de faim langoureux,
De palais & de biens tu le comblas heureux,
Et son plastre changeas, en marbre & en porphire.
Tu auois ramené, vn siecle de Saturne,
Et le bel âge d'or, quand vn monstre d'enfer
Plongea traitreusement dedans ton sein vn fer,
Qui mist ton corps en terre, & tes cendres dans l'vrne,
Dessus ton mausolee, vn sçauant Policlete,
Grauera les combats, d'Arques & d'Iury,
De Fontaine Françoise, où ton bras aguerry
Rendit des ennemis, la puissance deffaicte.
L'Ibere si long temps, qui la blancheur enuie
Arracher de nos lis, auoit couuert nos champs
De guerriers, tu rompis son ost auec trois cents,
Acte qui passe ceux, de Scandeberg d'Albanie.
Amiens fut le champ, le marathon de France,
Où Albert arriua, inuincible en son port:

Mais qui trouuant son bras contre le tien peu fort,
Baissant les mains, remit à ses pieds l'asseurance:
Comme ta main vainquit en champ les aduersaires,
Te secondant de plume, ainsi ie les vainquis,
D'escriuant les trophés que tu auois acquis,
Et tu fus le Cæsar, qui fist mes Commentaires.

Ha! funeste cousteau, tu n'as couppé la trame
Seulement d'vne vie! ha! ce coup a plus faict
De carnage, que Mars en cent ans n'en a faict,
Cousteau, qui tous les iours iusqu'au cœur nous entame.

Horreur de l'vniuers! non point fils d'vne mere,
D'vn Titan ensouffré, que conceut Alecton,
Armé d'vn fer trempé aux eaux de Phlegeton,
Oingt du venin baueux, que vomit le Cerbere:

Les tourments que là bas, ordonne Rhadamante,
L'empallement des Turcs, le feu lent à rostir,
Ne te sçauroient assez de maux faire sentir,
Pour te punir, n'y a point de peine ordinaire:

Mais quel contentement, voir briser ta carcasse?
Griller ta chair de feux, & depiecer ton corps,
Vn grand Roy pour cela ne retourne des morts?
Nostre dueil nous demeure, & ta peine se passe!

Ie te vis demembrer du tourment d'Hippolyte,
Sur quatre limoniers, plus d'vne heure estendu,
Te brasiller de feu, de fer, de plomb fondu,
Consommer par loppins ta charongne maudite.

Mais le plus grand tourment me semble la vergongne,
Le hument, les clameurs, & les cris forcenez
Des peuples, contre toy felons & acharnez
Qui vouloient au bourreau arracher ta charongne.


Les morceaux depiecez par mainte & mainte voye,
Voire exceddant l'arrest, ils traisnerent par tout

Et le iuſte courroux en fin n'eut autre bout,
Qu'en te bruſlant,de toy faire des feus de ioye.
Mes yeux depuis ce coup, n'ont ceſsé de reſpandre.
Vn Ocean de pleurs, las! i'en bagne mon lict,
Ie feray deſormais vn ſecond Heraclit,
Et ce pleur durera touſiours iuſqu'à ma cendre.
Cent yeux & plus m'ont veu, plongé en vn abiſme
De regrets, de ſanglots, comme i'euſſe voulu
Ta vie rachepter par le fer eſmoulu,
Comme vn Dece,& vn Curce,&à mon Roy victime.
A toy mon grand HENRY, ie ne veux plus ſuruiure
Le ſoleil m'eſt obſcur, i'aime l'horreur des nuicts,
Ie m'abreuue de pleurs,ie me repais d'ennuis,
Et du monde ſaoulé,i'ay deſir de te ſuyure.
May le plus beau des mois, qui iadis ſoulois eſtre,
De Flore & des Zephirs le mignon odoreux,
Tu ſeras deſormais vn des mois malheureux,
Funeſte à deux grands Roys,qui te fais recognoiſtre.
Le premier eſtonné d'vn amas de barriques,
Tu fis ſortir des murs, où plus il ne rentra,
Qu'vn couſteau de caffart, ſi auant penetra,
Qu'il mourut mal-gardé d'vne foreſt de piques.
L'autre qui reconquit la France dechiree,
En ton mois verdoyant, n'a pas eu meilleur ſort,
De ce premier beaucoup lamenterent la mort,
Mais celle du dernier eſt de tous deploree.
Triſte May, tu fais bien pour expier l'offence,
De pleurer comme nous, depuis ce coup meſchant,
Le ciel moite touſiours, ſes eſcluſes laſchant,
Verſe ſur nous ſans ceſse vne ondeuſe influence.
A tel iour tous les ans ie feray ſacrifice,
I'ombrageray mon front de funebre Cypres,
Et i'iray tous les ans à Sainct Denis expres,
Pour rendre l'Eternel à tes manes propice:

Tout ce qui allentit ceste douleur extresme,
Qui ferme peu à peu la bonde de mes pleurs,
Du tige genereux, ce sont six belles fleurs,
Dont la prime s'assied au Royal Diadesme.
Et ceste sage mere, à noz maux Panacee,
Qui calme la tourmente auec ces Alcyons,
C'est vn remede prompt à tant de passions,
Las! qui rendroient la France à iamais oppressee:
Que le grand Dieu des Roys, d'vn bouclier inuisible,
Couure ton petit Oingt, & le garde des coups,
Du fer des assassins, & de ces hommes loups,
Qui des Roys, las! des Roys font vn carnage horrible:
O grande Bericynthe, ô Princesse admirable,
Puisse-tu en repos esleuer tes petits,
Et comme son Achille autrefois fist Thetis,
Puisse-tu rendre aussi le tien inuulnerable.
Pour croistre en vn momēt, le Ciel luy soit prospere,
Qu'il force la nature, & deuançant ses ans,
Qu'il croisse, comme font aux riuages les plants,
Et qu'il face bien tost les actes de son pere,
Il en a tous les traicts, la parole, le geste,
Son ieune aage promet qu'vn iour il sera tel,
Qu'ayant regné long temps, il s'enuole immortel
Plein d'ans & de bon-heur au Royaume celeste.
Comme il porte le nom & qu'il est de la branche
De Louys neuf, auquel nous offrons de l'encens,
Aussi suiura-il ses gestes innocens,
Puis qu'il est esleué d'vne seconde Blanche.
Le sainct nom de Louys, à la France est prospere
Le dernier de ce nom fut cheri, fut aimé,
Vn Auguste, vn Traian, vn Tite il fut nommé,
Et des peuples encore on le nomme le Pere.

Ie sanglotois ces vers, confis en amertume
Sur vn papier trampé de pleurs pendant l'effroy,
Ie fais ce sacrifice aux ombres de mon Roy:
Puis que ie ne puis mieux ie le sers de ma plume.
Comme vn Cygne mourant se plaint sur le Meandre,
Ie chantois ces regrets, Lycurgue de nos loix,
Receuez, SILLERY, cœur & langue des Roys,
L'offrande que deuot à voz pieds ie viens rendre.
Ie publie d'vn son qui s'entend de la Seine
Iusqu'au Tybre Latin vos gestes plus fameux,
Ie les continueray, si le traict venimeux
Du Mome ne me fait perdre l'œuure & la peine.
Mais vous me seruirez de ceste herbe de Crete,
Du chasse-traict Dictame & du sacré Moly,
Vostre seul nom rendra l'enuieux ramoly,
Vous resister seroit vne audace indiscrete.





Extraict du Priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy il eſt permis à PIERRE CHEVALIER Maiſtre Imprimeur & Libraire Iuré en l'Vniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer vendre & diſtribuer vn liure, intitulé : *Rodolphi Boteræij, in magno Franciæ Conſilio Aduocati, Commentariorum libri XVII. De rebus in Gallia & penè toto Orbe geſtis: in tres Tomos tributi.* Et defenſes ſont faictes à tous autres Libraires & Imprimeurs, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre & diſtribuer ledit liure, d'autre impreſſion que de ceux que ledit Cheualier aura fait imprimer, ou de ceux qui auront droict de luy, pendant le temps & terme de dix ans, entiers & accomplis, à compter du iour & datte que ledit liure ſera acheué d'imprimer, ſur peine de mil liures d'amende, applicable moitié à nous, & moitié audit ſuppliant, ſans diminution quelconque, pareillement auſſi de touſſes deſpens, dommages & intereſts, & de confiſcation des exemplaires qui ſeront trouuez auoir eſté imprimez & mis en vente contre la teneur de ces preſentes, comme plus amplement eſt declaré audit Priuilege. Donné à Paris le 9. iour de Iuin, l'an de grace mil ſix cens dix, Et de noſtre Regne le premier.

Par le Roy en ſon Conſeil,



DE LALANE.

